



E P I T H A L A M I A 2

731

In honorem nuptiarum

NATALIVM SPLEN-
DORE, VIRTVTVM, AC
MORVM GRATIA PRÆ-
STANTISSIMI VIRI,

Dn, SIGISMVNDI TRANERI
AVGVSTANI
SPONSI,

CVM


NOBILITATE, PIE-
TATE, CASTITATE, CÆTE-
RARVMQ; VIRTVTVM LAVDE
ORNATISSIMA VIRGINE
SIBYLLA von Stetten/

NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI VIRI

Dn. DAVIDIS von Stetten
INCLYTÆ REIP. AVGVSTANÆ
antehac Senatoris, & rei frumentariæ Præfecti
digniffimi filia,

S P O N S A.


Celebrandarum 16. Iunij St. N.



AVGVSTÆ VINDELICORVM,
Typis Iohannis Prætorij.

ANNO M. DC. XXV.

30



E P I T H A L A M I A

In honorem

NATALIVM STEPHANI

DORIS VIRIVM AC

MORVM

STANTIVM

Dr. SIGISMUNDI

AV



Univ. Bibl. München

NOBILITATE PIER

TATE CASTITATE

RAVVM VIRIVM AC

ORNATISSIMA VIRGINE

SIBYLAE non German

NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI VIRI

Dr. DAVIDIS non German


INCLYTE REIP. AVGVSTANAE

Sanctae Senae & reipublicae Praefecti

SPONSOR

AVGVSTA VINDOBORVM

F. Leopoldina





ΕΥΧΗ ΓΑΜΙΚΗ.

I.



Σ γαῖαν' ὡς ἔπυξε καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα
 Ἦδὲ σεληνάην, καὶ Φαιθόντα μέγαν.
 Σειργμούς τ' ἀνέμων, καὶ ἀπείρονος οἶσμα θαλάσσης,
 Καὶ βροντῶν πάταγον, καὶ σέλας ἀστεροπαῶν.
 Τῆς δ' ἑυεργεσίας οὖν μνήμονα θυμὸν ἔχοιτες,
 Σωτήρα θαλάμῳ, γαμβρὸν ἐπιμάσθημι.

Id est:



VI molem terræ, qui cælum & sidera fecit,
 Qui Lunæ ac Solis lampada conspicuam.
 Flabraq; ventorum & glaucas tumidi æquoris undas
 Et tonitrus strepitum, & fulguris acre jubar.
 Ergò hujus doni memores, factiq; jugalis;
 Hisce novis Sponsis struximus hunc thalamum.

II.




Elix conjugium, famulus cui servit Olympus,
 Cui sua cerratim dona tulere DEI.
 Mirantur sensus nostri, miratur Olympus,
 Excessisse suis numina luminibus.

Nulla est, quæ prorsus careat discrimine, vita,
 Nec cæcas habeat præcipitesque vias.


A 2

Vivi.



Vivimus in rebus dubijs; atque omnia nostra
Sunt bona mixta malis, sunt mala mixta bonis.
Tristia sunt rebus lætis pensanda, malumque
Dicendum non est, quod valet esse bonum.
Quanquam triste nihil, nil durum, cuncta petenda,
Cuncta optanda diu tedia jugalis habet.
Res est sacra torus, primisque parentibus auctor
Fœdera Conjugij Christus in arce tulit.
Iamque dies aderat divini sexta laboris,
A V E R B O extabant cuncta creata D E I,
Protinus omnipotens, limo & tellure recenti,
Divino fingit numine membra viri.
Cœlestemque auram, vitæ spirabile numen
Aflat, humo tribuens effigiemque suam.
Exemplò illi aperit pectus, costamque revellit
Et prima ex illa fœmina facta fuit.
Pelluntur curæ, pelluntur conjugæ morbi,
Conjugæ rusticitas duritiesque fugit.
Fortis tormentis expugnat moenia miles,
Conjugio expugnat pectora doctus amans.
Formosus forma, facundus divite lingua
Fidit, conjugio dives & ipse suo.
Conjugæ quæ meritò Christi & germana vocatur,
Maxima diva solo, maxima diva salo.
Nec flagrante die Solis cruciabitur æstu,
Lnaque nocturnis impetet ulla modis.

Hæc



Hæc virtute DEI quandoque datura nepotes
Progenies, nulla disperitura die,
Quæ patrium genus immortali proroget ævo,
Nec sinat extinctum matris abire decus.

Ex voto scripsit,

ELIAS EHINGER ad
D. Annæ Primarius &
Bibliothecarius.

III.

AD tumulum mentis luctum testantibus ægræ,
Si fas carminibus tristia fata queri,
Cur non & thalamo liquidò testantia veram
Mentis lætitiâ carmina convenient?

Florea ferali positâ cur ferta cupresso

Non aptet capiti, & pulset Apollo lyram,

Tempora lætitiâ quando felicia poscunt,

Et pulsâ adfulget nube serena dies?

Dicamus bona verba igitur: jam prospera versu

Lætifico tædis accinuisse decet.

Iam (video) Patres hûc, pars & magna fenatus,

In templum nuptos, ut comitentur, eunt.

Stipatæque movent molli hûc vestigia gressu

Virginibus matres, hûc juvenesque movent.

A 3

Fausta.



Fausta que nobiscum verbisque animisque precantes

Omina jam nuptis non renuenda ferunt.

En jam progreditur Sponsus venerandus ad ædem

Sacram, facturus vota, precesque DEO.

ODI, quis nam frontis honos, quam gratia blanda

Emicat in vultu, in gestibus, atque gradu!

Excultum indicio est certè hunc virtutibus esse

Egregiè egregijs, moribus atque bonis.

Inde puellarum sequitur nova nupta catervam:

Ante alias auro conspicienda nitet.

Adspice formosi decus oris, lumina cerne,

Virgo decens vultu est, virgo pudore decens.

Corporis incedit cunctis hæc dotibus aucta,

Fœmineum possunt quæ decorare genus.

Fausta dies, ô fausta dies! quâ fœdere sancto hæc

Iungentur solito pectora more duo.

Quis DEUS optato conjunxit vos Hymenæo?

Quis vé autor vestri primus amoris erat?

Non puer obscenæ Veneris, non pronuba Juno,

Aut etiam Charitum numina ficta tria,

Sed DEUS omnipotens sanxit qui ab origine rerum,

Viveret ut castè fœmina juncta Viro.


Ille animos vestros castis incendit amoris

Flammis, ille animos nunc & amore fovet.

Illius auspicio pacta hæc sunt fœdera lecti,

Solvere quæ hora potest non nisi acerba necis.

Fausta




Fauſta dies, ô fauſta dies! nam gaudia Sponſis
Hæc nova mille novis deliciasque feret.
Blandis Sponſa ſuis Sponſum exhilarabit ocellis
Ridens, hanc blando Sponſus & alloquio.
Læta ſui Sponſi placidos mirabitur illa
Mores, innumeris auctum animumque bonis.
Tali deque ſibi gratabitur ipſa marito,
Intra animum illi optans proſpera quæque ſuum.
Coniuge de caſta lætabitur hicce viciffim,
Ingenium admirans nobile, ſtemma, decus.
Singula quid referam? haud opus eſt, carpetis uterque
Mille voluptates, milleque delicias.
Fœdera quippe DEO ſancta hæc ſunt auſpice ſummo:
Sed læta eveniunt auſpice cuncta DEO.
Ite ergo pompâ celebri, poſt inde redite,
Mollia & inſtructis membra fovete cibis,
Ducite nunc hilares coniunctis mentibus ambo
Hanc totam (eſt vobis namque dicata) diem.
Ducite dehinc (voveo) longiſſima tempora vitæ,
Crescentes multâ & prole replete domum.

ἐπιφημίαις ergò faciebat

Johannes Geiger.

F I N I S.



Univ. Bibl.
München

